

Duxit natales laudati à sanguine patris,  
Cui genitor simul & mater honesta fuit.  
A quibus ad mores est assuefactus honestos,  
Vna cum binis fratribus ipse suis.  
Nec non assiduè didicerunt, sidera celsa  
Torquentem, à primo lacte timere Deum.  
Alter erat frater tam re, quàm nomine dictus  
Andreas, patria & consul in vrbe fuit.  
Qui fuit in sancto pars haud postrema senatu,  
Et rexit patriam non sine laude suam.  
Hunc lethum rapuit perpeffum multa laborum  
Tædia, qui patria conditus vrbe iacet.  
Alter erat Gaspar, qui Martis castra secutus  
Occidit Hungarico miles in orbe bonus.  
Cui iuueni impigro multas vrbesq̃, virosq̃  
Summa peregrinos visere cura fuit.  
Plurima qui postquam vidit lustranda per orbem,  
Natalis repetit dulcia rura Soli.  
Egregiam & ducit morum probitate puellam,  
Quæ de Richteris stirpe creata fuit.  
Cum qua iucundum transegit molliter æuum,  
Legitimi & genuit pignora sena tori.  
Ex quibus extinctæ tres natæ, luce fruuntur  
Cætibus in superis, colloquioq̃ DEI.  
Tres & adhuc superat, spes suntq̃ parentibus ampla,